

Apparet ex his omnibus quanta Pufendorffii de lite cum Episcopo fuerit calumnia, quantâq; animi malicia Ven. Vitricum meum turbulenti hoc nomine arguerit ingenii: quippe quem non tantum litem non movisse, sed ne quidem ab aliis motæ immiscere se voluisse, quin multa de jure suo concessisse, evidenter modo probavi. Et quis quæso turbulenti ingenii damnaret eum, qui cum ad litem contestandam provocatus esset, septies tamen eandem sit deprecatus, quique, ubi sibi quiescere nullo modo liceret, iter septuaginta miliarium, solius pacis obtinendæ ergo, confecerit. Pari passu ambulat ea, quam de remotione ab officio eructavit, calumnia, cum Ven. Virum ipsum serenissimum Regem æquisimum in hac causa Judicem ter expertum fuisse demonstratum sit. Neque enim duo quod Proceres, autore Pufendorffio & aliis, meditati fuerant, pro decreto Regis totiusq; Regni Suetici reputandum est. Quid quod atrocior eò est hæc de tota illa lite calumnia, quæ minus autor ea, quæ auctoritate regia composita, adversæque partis amicitia oblitterata fuere, ex tenebris quasi protraxisse erubuerit.

§. 44. Discussæ sunt calumniæ de excitatis turbis. Sequuntur quas de Ven. Viri eruditione & doctrina pro-  
*cludit: Sed eruditionis opinionem, scribit in Specimine contro-*  
*versiarum Eridis Scandicæ p. 197. sibi circumponere difficile*  
*fuerat ei, qui ex universa Philosophia præter vocabula Elen-*  
*chorum Sophisticorum, & ex Theologia recentes quasdam con-*  
*troversias crepare nihil poterat. De cætero in linguis Orien-*  
*talibus, Patribus, historia & antiquitate Ecclesiastica, elegan-*  
*tioribus literis ac solida Philosophia plane hospes. Hæc vero*  
 Convitiatorem ita evomuisse, mirum mihi non videtur. Facile enim alios contemnit, sibi qui nimium tribuit.

M

Enim